

## De Agide Lacedaemoniorum Rege,

### Cui Id Nomen Fuit Quarto,

Ut Salutem Reipublicae In Deterius Mutatae Invenit.

1. Differre inter sese homines opibus, differre rei familiaris tenuitate aut amplitudine, non magis cognitum omnibus, quam reprehensum est plurimis visumque divini numinis sapientia bonisque vitae humanae institutis indignissimum. Ut enim eandem omnes sortiantur nascendi moriendique condicionem, ut inter incunabula et sepulcrum aequae omnes vacillent, ita aurum atque argentum aequali mensura inter cunctos oportere dividi, eundem deberi unicuique vitae ornatum, idem decus, apparatus denique omnem eundem. Quibus si quid concesseris, ut philosophari hos pie recteque credideris — ut evenit saepe nonnullis, quos homines potius benevolos, quam sapientes appellaverim viros, — confiteare necesse est, non explere illos orbem, quem ducere coeperint ac sibi ipsos deesse nec satis a divino numine, quod increpant, expetere. Quoniam enim bona et commoda universis volunt esse communia, nonne addendum est, ut ceteras quoque vitae rationes iubeant esse aequatas, eandem omnibus corporis animique valetudinem, parem sensuum vigorem, aequam oculorum aciem auditusque capacitatem, annorum quoque numerum minime disparem, postremo ut et ipsa mors, quum ea quidem vitanda sit nulli, eodem modo unumquemque intercipiat et auferat? Cur enim nongentos annos vixerit ille Mathusalem, ego nonagesimum non videam? Aut cur hic in somno avolet, tu febris ardoribus emoriaris? — Jam ad absurdum videtis vos, nimii aequi suasores, deduci.

2. Quamquam, si his resistimus, si hos aberrare a vero iustoque contendimus, absit tamen ut negemus, inesse quandam in iis, quae ab illis iactantur, boni rectique speciem et similitudinem, inesse quasi quandam

nucleum veritatis, quem aperire et evellere operae pretium sit. Remittendi quidem sunt illi ad Beatorum insulas, quae nullibi inveniuntur; at quam praeclarum, si possent reperiri! Sed ut ioco in re gravi abstineamus, quamquam talis non est deus optimus maximus cultor auctorque aequalitatis, qualem philosophi isti deprecantur, nec tales unquam tulit leges, quales sibi deberi clamitant, certe tamen noluit vetuitque, paucos quosdam Attalicas cumulare condiciones, reliquos in paupertate et sordibus delitescere. Sunt hic quoque, ut iterum vatem Venusinum, qui nunquam quiescit, in medium producamus, certi quidam fines, ultra quos consistere rectum nequeat. Spectat huc tota illa, quae de societate humana instituitur, quaestio, quae quam late pateat, quocumque oculos auresque convertimus, intelligimus quotidie, spectamus, audimus. Atque ea quidem quaestio, qua est nulla gravior, nulla impeditior, agitari coepta est ab eo inde tempore, quo generis humani parentes hortis illis excesserunt, a quibus nos nuntii a deo missi gladius defendit.

3. Nam ut Judaeos omittamus, apud quos iubilaeus ille qui dicebatur annus bonorum iniquitatem quinquaginta intra annos propagatam resecat, in hoc genere versati sunt, in hoc laborarunt et fortasse peccarunt, certe perierunt nobilissimi fratres Tiberius et Gaius Sempronii Gracchi. Qui quidem quum conati essent Romanorum agrum publicum, quem ad privata commoda victrix perpaucorum avaritia derivaverat, ad communem usum revocare, seditionis notam tulerunt ab iis, quorum granariis detrahebant; at iidem viris optimis et patriae studiosissimis et ob imprudentiam visi sunt commiserandi et ob voluntatem summis laudibus extollendi. Nec nos unquam cum Africano stabimus, qui dicitur, quum apud Numantiam in castris Tiberium, qui sororem in matrimonium duxerat, misere interisse cognovisset, ad Homerum recurrere: „Occupet sors eadem, qui talia suscipit ausa!“ At vero rectissime poeta sufficere in magnis rebus, si volueris, ait: ut efficias, quibus rebus inhias, neve tibi desis, superiorum consilium vel denegat vel concedit. Hi te quoque, si volent, eodem condent monumento, quo conditus est nimis audax ille auriga, tibi etiam ut inscribatur, magnum te cursum exorsum esse, quem si non tenueris, magnis tamen te ausis excidisse.

4. Ut autem Sempronios fratres inversa iam et oblita pristinae virtutis et protulit civitas Romana et brevi perdidit, ita Lacedaemoniorum quoque clarissima urbs et habuit suos Gracchos et e medio simili fere modo sublato vidit. Nam ut Romae Gracchi, ita Lacedaemoni Agis et Cleomenes reges restituere bona pristina, reddere aequitatem, quae perierat, et cum

aequitate pacem et cum pace omnia boni honestique studia conati sunt. Sero autem medicinam parari, quum per moras longas mala invaluerint et quasi inveteraverint, utriusque cognoverunt. — Lubet hic, quoniam saepius Gracchorum Romanorum quam Graecorum vita et laudes proferuntur, Agidis Lacedaemonii res gestas breviter enarrare, non ut quasi e novis fontibus hausisse nos quiddam gloriemur — nam ne libris aliunde requirendis magnopere uteremur, hoc ipsum bellum Gallicum, quod nos nunc exercet, prohibuit, — sed ita ut Plutarchi potissimum auctoritate confisi — quamquam et diffidere huic in ea ipsa re nonnullos haud ignoramus — qualis fuerit Agis rex quidque sibi proposuerit et quem exitum habuerit, quam maxime perspicue iis quoque, qui non multum versantur in his literis, proponamus. Quod quum facimus, videmur nobis illius quaestionis quae est de societate humana quasi quandam particulam tractare. Quam quidem quaestionem qui solvere voluerit, historiae, quae vitae humanae magistra recte appellatur, exemplis et praeceptis carere non poterit.

5. Natus igitur Agis patre Eudamida e gente Eurypontidarum, matre autem Agesistrata, quam ditissimam praedicant fuisse inter Lacaenas, adolescentiam quidem habuit citra vicesimum aetatis annum opulentiae atque luxuriae, quae extorta dudum gravi Lycurgi disciplina Spartam urbem polluebant, illigatam et irretitam. Ut autem aetatem eius indicemus, ac cui tempori inciderint haec, patefiat, monendum, quibus annis hunc expellere illud malum e civitate conantem tota Graecia mirata est, iisdem Romanos ingentis certaminis, quod bellum Punicum primum vocatur, finem honesta et utilissima pace fecisse. Atque adiuvabant quidem Agin ad ea, quae sibi proposuerat, perficienda eximiae animi ingeniique facultates, quibus aequare fere videbatur Agesilaum, qui in Asia et in Graecia quoties pugnavit, toties superavit: cui tamen bono detrahebat aliquid Agidis molle quiddam et placidum nec satis ad omnia audenda, si quid durius videretur, expeditum. Erat enim pius admodum et verecundus, sed minus, quam tempus illud postulabat, fortis et strenuus, nec de eo recte cecinerit poeta, quod de tenaci semper consilii viro ac coelestis ruinae contemptore praedicavit. Denique recte Agin Plutarchus cum Tiberio potius Graccho, quam cum Gaio comparandum censuit.

6. Initium autem civitatis redintegrandae et pristini splendoris recipiendi in se ipso invenit corrigendo, ut omnem vestitus atque domestici apparatus nitorem elegantiamque abiiceret indueretque hirtam illam Laconum tunicam, quam ceteri Graeci deridebant, et lavaretur publice et corpus

exerceret, uti Lycurgi praecepta iubebant, iisdemque etiam ad coenarum communitatem revocaretur. Ut vero reipublicae bene constituendae quasi fundamentum posuerat Lycurgus agros aequè dispertitos veteratque, ne plus Laco Lacone possideret neve ad alterum quisquam de suo quidquam dono vel haereditate deverteret, ita Epitadeus quidam ephorus filii, qui ei minime probaretur, odio seductus omnia depravaverat lege sanciens, ut quo quisque vellet, sua derivare liceret. Cupiens igitur Agis tali ab abusu ad usum antiquum resilire tanti laboris socios tantique operis adiutores quae-rebat, nec inter eos, qui aetate magis proveci erant, inveniebat. Hi enim, ut naturam ne furca quidem expelli posse constat, divitiis atque opulentiae assuerant nec plura appetere maioribusque rebus inhiare dedoceri ullo modo poterant. Sed quoscunque habebat aequales sociosque adolescentiae, facile ad sua studia perducebat efficiebatque, ut spreta mollitie maiorum simplicitatem et quasi quandam rusticitatem eligerent. Atque etiam matrem secum coniunxit consiliorum fautricem, quae quidem primum filium adhortata, ne maiora viribus conaretur, cessit deinde Agidis precibus et gloriae futurae, quam ostendebat, imagini. Nec vero ea laudis opinio Agin regem fefellit; sed in hoc quoque est animadversum, quam recte poeta dixerit, brevissimae potissimum vitae gloriam solere esse superstitem.

7. Dissensere autem plane ab Agesistrata ceterae fere, quae divitiis et opibus pollebant, Lacaenae atque ad Leonidam, qui Agidi collega erat regiae potestatis, refugientes omnibus precibus rogaverunt, ut Agidis impetus restingeret. Nam si ille vicisset, videbant fore non solum, ut bonis privarentur, sed etiam ut de tanto fastigio ad humilitatem abiectamque vilitatem descenderent. Ubi enim nummus amittitur, abit et honos: quod quam verum sit, omnis aetas omnisque locus testatur. Leonidas autem quum illas, studiosus ipse quoque pecuniarum, secreto foveret, Agis contempta muliebri imbecillitate Lysandrum quendam, qui ephori munere fungebatur, adduxit, ut legem ferret, qua aere alieno debitores liberabantur, agrorum vero nova distributio fiebat aequalis. De qua lege quum in senatu non convenisset, Lysander ad populum tulit, quem quidem communibus studiis et ipse Lysander et Mandroclides, homo et audacia et calliditate praestantissimus, et Agesilaus, Agidis patruus, et maxime rex ipse, qui omnia praedia sua omnemque pecuniam donare se reipublicae cum maxima civium admiratione et acclamatione praedicabat, ad suam sententiam pertraxerunt. Quae quum in senatu iterum stetisset inferior atque id Leonidam effecisse cognitum esset, antiqua lege, qua gravissima poena afficiebatur, si qui e barbaris

uxorem duxisset — id quod cadebat in Leonidam — in ius vocatus et quum iudicium effugisset et ad Minervae aedem supplex se contulisset, regno exutus idque ad Cleombrotum generum eius translatus est. Neque quidquam effecerunt novi ephori, qui Lysandrum et Mandroclidem perduellionis accusare conati a regibus munere sunt expulsi; quod quidem suasit et hortatus est Lysander, qui nefas esse diceret ephoris, regibus ab una sententia stantibus obtrectare. Tum Leonidas desperata causa Lacedaemone excessit Tegeamque confugit.

8. Itaque omnia praeclare se habebant nec ulla res videbatur obstare, quominus legibus illis, quae erant perlatae, obtemperaretur atque et schedulae, in quibus conscriptam erat aeris alieni summa, cremarentur et agri publice dividerentur. Sed tum cognitum est, unum esse inter adiutores atque amicos regis, Agesilaum, qui cupidius quam sincerius esset ista persecutus. Hic enim et praedia habebat amplissima et eadem permagno aere alieno obstricta. Itaque hoc quidem cupiebat dissolvi, illa autem ut sibi servarentur, efficere studebat; nec eum infamis cura fefellit. Agidi enim persuasit grave esse utrumque simul tentare: praestare primum debitores liberari, facilius postea possessores adduci posse, ut sua sibi eripi sinerent. Audiit sirenum voces Agis neque Ulixis astutia munitus in manus rapaces et impuras incidit. Agesilaus autem dicitur, quum schedulae illae in foro accumulatae conflagrarent, exclamasse: numquam se vidisse flammam magis lucidam neque ignem hoc rogo puriorem. Ut vero et agrorum distributio coepta est a populo efflagitari, differre in dies Agesilaus ac moras conquirere et negotium impedire, donec Agis ad Aetolorum impetus refringendos Achacis sociis auxilio est profectus. In qua quidem expeditione admirata est universa Graecia Lacedaemoniorum disciplinam quasi ex longo sopore suscitata. At ea omnis ex Agide pendebat, de quo tantam spem conceperant: quam proh dolor! Agesilai avaritia et superbia cum rege ipso exstinxit.

9. Nam quum redisset ex Achacis Agis, domi omnia ab Agesilao invenit mixta atque turbata. Ephori enim munere tantummodo ad pecunias extorquendas utebatur Agesilaus, ita ut omnes eum et metuerent et odio maximo persequerentur et ipse ad corporis custodiam alere satellites cogere. Regum autem alterum spernebat, nec Agin quod rex esset, sed quod consanguineus, patiebatur. Non vero tulerunt haec postremo adversarii et Leonidam Tegea arcessiverunt: cui quidem redeunti aperuerunt portas populi conversae in Agesilaum irae ac cessans iam post tantas moras

patientia. Tum Leonidas recuperato regno Cleombroti quidem salutem Chilonidi filiae condonavit, quae antea patrem, tum vero virum piis studiis complexa, ut optimae filiae, ita coniugis fidissimae laudem nacta est; Agidi vero deinde, qui ad Minervae sacrum profugerat, struere insidias coepit. Quas ille diu vitare non potuit. Amphares enim ephorus et quidam alii amice nonnumquam ad eum, sed subdole accedebant et blande comiterque colloquentes familiarium speci empraebant. Quorum fraude non perspecta Agis quum esset aliquando sacros fines egressus, subito ab Amphare eiusque sociis interceptus atque ad carcerem protractus est. Jussus autem causam dicere perduellionisque ipse quoque accusatus quum neque impulsus se ab aliis ad ea, quae conatus esset, molienda — quod quidem amica ei cuiusdam ephori vox suggerebat — nec poenitere sese earum rerum dixisset, capitis est damnatus laqueoque suffocatus. Atque vitam quidem sanctissimam et tantum in popularibus studiis versatam mors fortissima excepit.

10. Nam quum cunctaretur quidam e carnificibus et exitum eius deploraret: „Desine, inquit Agis, „lacrimare, amice! impie enim et iniuste occisus melior sum occisoribus!“ Qui quum iam exspirasset, intervenerunt et avia Archidamia et Agesistrata mater. Amphares autem primum illam intrusit et interfecit eodem quo regem modo, deinde Agesistratam intrare iussit ad filium, cuius mortem etiam tum ignoraret. At ea quum filium conspexisset humi iacentem, matrem vero collo suspensam, solvit istam quidem laqueo et iuxta illum deposuit in terra, tum regem complexa: Perdidit te, inquit, fili, nimia mansuetudo et caritas! Cui Amphares: Si laudas filii consilia atque eadem sentis, eadem et patieris! Nec illa mortem recusans suaque dextra laqueo collum innectens: Utinam usui, inquit, vertantur ista Lacedaemoni! — Ita periisse Agin enarravit Plutarchus, virum, uti diximus, magis bonum quam fortem, quem illa aetas non ferebat, ut Roma non tulit Sempronios, sed quem ob insignem pietatem et singularia communis salutis studia et amore et commiseratione optimus quisque dignissimum semper existimabit. — Cui si non plane defuerimus, si quandam imaginem eius et formam, quae non indigna sit tali viro, effinxerimus, operae pretium habebimus. —

Scriebam Sigebergae a. d. XVIII. Cal. Sept.

Ludovicus Poeppelmann.